



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

8. Vtrum accidentia indiuiduentur per subiectum, vel anima rationalis per materiam.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

CONCLUSIO II.

52. *Materia, & forma simul non sunt principia indiuiduationis omnium rerum materialium.*

*Probat*ur: quia materia & forma simul includuntur in natura specifica corporis cuiuscumque naturalis: ergo non sunt principium indiuiduationis; nihil enim, quod includitur in natura specifica, ut distinguitur à singularitate, potest esse principium indiuiduationis istius rei, in qua includuntur, & multo minus aliarum rerum.

*Dicit*ur: materiam & formam singularem non includi in materia specifica, & consequenter materiam, & formam singularem posse esse principium indiuiduationis.

Contra: si materia & forma ut sic, quid distinctum à natura specifica ipsorum, & consequenter materia, & forma singulares non sunt principia indiuiduationis, sed potius illud, per quod singularizantur. *Præterea* principium singularizandi, seu indiuiduationis non potest esse sine re, quæ singularizatur per ipsum: sed materia, & forma singulares possunt existere à parte rei sine toto composito singularizato per illas; ergo non sunt principium singularizandi totum compositum.

Dices maiorem esse veram, loquendo de principio formali metaphysico, non vero loquendo de principio radicali physico.

Contra primo: quia modo quærimus de principio metaphysico indiuiduationis. *Secundo*, quia materia & forma non sunt principia indiuiduationis etiam physica, nisi composito, in quo includuntur: sed dantur aliæ res materiales præter compositum: ergo materia & forma simul sumpta non sunt principium indiuiduationis omnium rerum materialium.

Confirmatur quia materia & forma non sunt principium indiuiduationis ipsius materiæ, aut ipsius formæ, aut etiam accidentium: ergo non sunt principia indiuiduationis omnium rerum materialium.

53. *Obiicit*ur: principia essendi rei sunt principia unitatis rei: sed materia & forma sunt principia essendi indiuidui: ergo sunt principia unitatis indiuidualis, & consequenter indiuiduationis.

*Respondet*ur distinguendo maiorem: principia intrinseca essendi sunt principia unitatis, concedo maiorem; principia extrinseca, nego maiorem. Distinguo etiam minorem: materia & forma sunt principia essendi indiuidui composito ex materia & forma, concedo minorem; indiuidui non composito ex materia & forma, nego minorem. Similiter distinguo consequens: sunt principia unitatis indiuidualis indiuidui compositi ex materia & forma, concedo; aliorum indiuiduorum, nego. Itaque concedo quod omne compositum materiale, sicut habet pro principio radicali physico generis & differentie suæ metaphysicæ materiæ & formam physicam quoad speciem suam, & prædicata essentialia: ita habet etiam pro principio physico radicali suæ indiuiduationis materiæ & formam singularem simul sumpta: propterea enim est tale compositum singulare, quia constat tali forma & tali materia singulari, & nihil aliud potest constare ipsis simul sumptis, nisi hoc numero compositum: sed hinc non sequitur materiam & formam, aut quolibet ex illis esse principium radicale, ac multo minus formale, indiuiduationis omnium rerum materialium, quia ipsa materia non potest esse principium indiuiduationis sui ipsius, neque forma, nec utrumque simul potest esse principium radicale aut formale indiuiduationis accidentium, ut iam ostendemus.

QUÆSTIO VIII.

Utrum accidentia indiuiduantur per subiectum, vel animam rationalem per materiam.

CONCLUSIO I.

54. *Accidentia nulla absolute indiuiduantur à suis subiectis.* Hæc est communissima Scotistarum & recentiorum cum D. 4. dist. 12. qu. contra Sanctum Thomam 1. par. qu. 39. art. 3. & qu. 29. art. 1. qui oppositum tenet de omnibus accidentibus, quamvis *Caiet.* & aliqui alij dicant quod excludat quantitatem, quasi hanc vellet indiuiduari seipsa.

*Probat*ur primo conclusio, quia nihil unius generis potest facere unum per se cum re alterius generis: ergo subiectum accidentium (sive sit materia prima, sive totum compositum substantiale ortum ex materia & forma) non potest esse principium indiuiduationis accidentium, quæ sunt alterius omnino predicamenti ab ipso. *Probat*ur consequentia, quia principium indiuiduationis debet facere unum per se cum re, cuius est principium indiuiduationis; & hoc quidem concludit de principio formali indiuiduationis. Sed fortassis Thomistæ non volunt subiectum esse principium formale indiuiduationis accidentium, sed principium fundamentale. Sed contra hoc tamen est quod principium, etiam radicale, indiuiduationis debet esse tam intrinsecum rei indiuiduatæ, ut non possit existere res indiuiduatæ sine illo: sed accidentia absoluta, ut quantitas & qualitates possunt existere sine suo subiecto, ut patet de facto in Eucharistia: ergo subiectum non est principium etiam radicale indiuiduationis ipsorum.

Respondent aliqui ex Thomistis, quantitatem esse subiectum qualitatibus, & qualitates indiuiduari per ipsam, ipsam autem quantitatem indiuiduari seipsa.

55. *Sed contra*, quia per potentiam Dei qualitates possunt conservari sine quantitate ita bene, quam quantitas sine subiecto; ergo si quantitas non indiuiduetur per suum subiectum ex eo quod possit esse sine ipso, qualitates etiam non indiuiduantur per quantitatem, quandoquidem possint esse sine quantitate. *Probat*ur antecedens, quia essentialius dependet quantitas à substantia, quam qualitas à quantitate, ergo si quantitas potest esse sine substantia, qualitas poterit esse sine quantitate. *Probat*ur secundo, quia non potest ostendi ratio repugnantie, nisi petatur principium, dicendo quod ex eo non potest esse qualitas sine quantitate, quia indiuiduatur per ipsam.

Confirmatur hoc, quia antequam fuit separata quantitas à substantia panis, idem esset indicium colligendi, quantitatem indiuiduari per substantiam, quod de facto est colligendi qualitates indiuiduari per quantitatem: ergo sicut male colligeretur tunc, quod indiuiduaretur quantitas per substantiam: ita male colligeretur de facto qualitas indiuiduatur per quantitatem.

Contra secundo, quia æque facile potest defendi, qualitates & quæcunque alia entia materialia indiuiduari seipsis, ac potest defendi quantitatem indiuiduari seipsa: ergo qui diceret unum, deberet dicere alterum.

Contra tertio, quia ex illa responsione sequitur quod materia non sit principium indiuiduationis rerum materialium omnium, quod est contra aduersarios.

Contra quarto, & potest esse tertia probatio conclusionis: illud non potest esse principium indiuiduationis alicuius accidentis, quod æque bene potest coniungi cum illo accidente ac cum alio numero tantum distincto ab ipso: sed in eadem numero quantitate possunt inherere duæ qualitates numero tantum distinctæ, v.g. duæ albedines, saltem successive, neque enim in hoc potest ostendi vlla implicantiæ: ergo quantitas non est principium indiuiduationis qualitarum.

56. *Respondent* alij Thomistæ, quando dicitur quod accidentia indiuiduantur per subiectum, hoc non esse intelligendum ita, ut ipsum subiectum sit principium indiuiduationis, aut etiam ordo actualis accidentis ad ipsum, sed ita, ut ordo aptitudinalis accidentis ad subiectum sit principium indiuiduationis.

Contra tamē hoc etiam, quia eadem numero albedo, v.g. posset successive inherere variis subiectis, ergo dicit ordinem aptitudinalem ad varia subiecta: ergo non indiuiduatur per ordinem aptitudinalem ad subiectum. *Probat*ur consequentia, quia non potest indiuiduari per plures ordines: sed si indiuiduaretur per ordinem aptitudinalem, deberet indiuiduari per plures: non enim est maior ratio, quare per unum potius, quam per alterum, & consequenter debet indiuiduari per omnes, si per vnum indiuiduatur.

Contra secundo, quia hæc numero albedo, quæ est in pariete, dicit ordinem aptitudinalem ad quodcunque subiectum, ad quod dicit ordinem aptitudinalem albedo, quæ est

est in alio pariete, posset enim in quocunque subiecto poni vna, in quo posset poni altera: ergo non indiuiduatur per talem ordinem. Probatur consequentia, quia eatenus dicuntur ab aduersariis distingui numero per talem ordinem, quatenus quodcunque accidens distinctum numero tantum ab alio accidente dicit aliquem ordinem specialem ad aliquod subiectum, ad quod alterum accidens non dicit specialem ordinem: ergo si hoc sit falsum, falsum erit quod indiuiduatur per talem ordinem.

Confirmatur hoc, quia si vnum accidens distinguatur numero ab alio accidente per ordinem aptitudinalē ad subiectum aliquod, tunc ex eo quod viderem aliquod accidens in aliquo subiecto, deberem iudicare quod esset distinctum à quocunque accidente subiectato in alio subiecto, & præterea deberem iudicare quod quodcunque accidens subiectatum in hoc subiecto esset idē numero cum quocunque alio eiusdem speciei in eodem subiectato: sed male ita iudicarem, quia posset Deus illud ipsum accidens subiectatum in vno subiecto subiectare in altero subiecto, & posset etiam, illo destructo, ponere in eodem subiecto aliud simile accidens.

Contra tertio, quia sicut ordo vniuersalis præsupponit subiectum suum vniuersale, ita ordo singularis præsupponit subiectum suum singulare: ergo non constituit subiectum suum singulare. Probatur antecedens, quia ordo quicunque aptitudinalis profuit ab ipsa re, cuius est ordo: ergo sicut ordo vniuersalis non potest proficere nisi ab essentia vniuersali; ita ordo singularis non potest proficere nisi à re singulari.

57. *Probatur quarto conclusio*, & confirmantur prædictæ replicæ si hæc albedo indiuiduaretur, aut radicaliter aut formaliter ab hoc numero subiecto, maxime propter connexionem aliquam particularem, quam habet cum hoc subiecto, v.g. cum Petro: sed non habet connexionem aliquam particularem cum hoc subiecto ex vi subiecti præcise, quia hoc subiectum est eiusdem essentiae cum alio subiecto, v.g. cum Paulo, & solum ab ipso numero distinguitur, ergo ex vi subiecti quoad essentiam non habetur ista connexio; sed nec habetur ex vi eius quoad singularitatem: quia singularitas Petri est eiusdem rationis quoad omnia cum singularitate Pauli, præter hoc quod vna fundat negationē idētitatis vnus ex ipsis cum altero, & præter hoc, quod constituent vna Petrum & altera Paulū in esse vnus numero. Sed certe ex hoc capite non potest colligi quare vna albedo potius haberet connexionē cū vno quam cū altero ex illis: ergo non potest esse nec colligi illa connexio ex hoc, aut illo subiecto; vnde si sit aliqua connexio specialis vnus albedinis cū Petro potius quam cū Paulo profecto illa erit desumenda ex natura, aut singularitate albedinis, & sic hæc albedo ex se ipsa erit singularis, & nō ex ordine illius ad hoc subiectū, qui ordo posset colligi, aut desumi ex hoc subiecto, licet terminaretur ad hoc subiectū: sed nec est talis ordo specialis in hac albedine potius quā in illa, ut probari potest eodem argumento, quo iam probatum est quod ille ordo specialis, aut connexio nō posset esse ratione subiecti, & sane si fuisset ille ordo specialis in albedine vna præ alia, sequeretur, quod distinguerentur specie, ut patebit ex dicendis quæstione decima.

Probatur vltimus: quia nulla prorsus est ratio, cur accidentia, sicut habent suam distinctionem specificam ex seipsis eo modo, quo substantiæ habent ex seipsis: ita etiam non haberent suam distinctionem numericam ex seipsis, vel ex aliqua formalitate positiua identificata ipsis, sicut substantiæ habent, aut sicut materia, vel quantitas habent secundum aduersarios.

Confirmatur hoc, quia prius cognoscimus accidentia esse distincta numero & indiuidualiter, quam substantias, ut quæ subiecta eorum, vnde per accidentia cognoscimus, substantias, & subiecta esse distincta numero & propterea Porphyrius supra & alij celebres authores diffiniunt indiuidua substantialia per ordinem ad accidentia.

58. *Obiicit primo*: accidens dependet à substantia in esse, ergo indiuiduatur à substantia: à quo enim res habet esse, ab eo habet indiuiduationem.

Respondeo, distinguendo, antecedens: tanquam à causa materiali extrinseca, aut tanquam à causa efficiente, & finali, transeat; tanquā à causa indiuidualiter ipsum constituyente, nego antecedens; & negata consequentia, distinguo eius probationem, à quo res habet esse tanquā à causa extrinseca, nego; tanquam à causa intrinseca, transeat. Et certe si illud, quod daret esse extrinsecè, deberet esse principium formale, aut radicale indiuiduationis, tum Deus deberet esse principium indiuiduationis formale, aut radicale, quod est falsum; & præsertim hoc esset verum respectu eorum, quæ dependēt à solo Deo, & nō possunt ab alio depēdere in genere causæ efficientis, ut sunt res supernaturales. Pro tollenda tamē æquiuocatione aduertendum est nos non querere, quodnam sit principium indiuiduationis quomodocunque, quia certum est quod principium effectiuium sit eius causa efficiens, & principium materiale causa materialis, & ita de reliquis causis. Sed difficultas, quæ hic examinatur, præcisè querit, quod est principium intrinsece & formaliter dans vni indiuiduo accidentali, v.g. huic albedini, quod sit distinctum ab alio indiuiduo albedinis; & etiam querit quanam sit radix, vnde profluat huiusmodi principium formaliter constitutum indiuidui in esse talis.

59. *Obiicit secundo ex Ioanne à S. Th. quæst. nona*, de substantia corruptibili *art. 5.* nulla forma receptibilis est de se indiuidua & singularis, nisi per ordinem ad subiectum recipiens: ergo indiuiduatur per subiectum. Probatur antecedens, quia omnis forma est communicabilis, nisi per subiectum detineatur, & limetur, ergo non est indiuidua, nec singularis, nisi per ordinem ad subiectum. Probatur hoc antecedens ab ipso satis confuse, sed quantum capio, tota vis consistit in hoc: forma non potest fundare distinctionem formatum modo non formali, hoc est (si habeat sensum) non potest fundare distinctionem numericam, nisi ex alio principio, seu per ordinem ad aliud, in quo semel recepta non potest transire ad aliud, nec fieri communis multis, ergo forma est communicabilis, nisi per subiectum detineatur.

Sic intelligo discursum huius authoris, & iuxta hunc intellectum *Respondeo* negando primū antecedens cū antecedenti suæ probationis: ad cuius probationem nego etiam antecedens: & sanè in toto discursu nulla probatio assumitur, quæ non sit æque incerta ac res probanda.

Ad huius autem responsionis maiorem claritatem, & ut evidentiū videatur, quam parum vrgeat hoc fundamentum, *Dico primo* formam, non obstante quod sit in vno subiecto, posse esse simul in alio subiecto, ergo non detinetur per hoc, quod sit in vno subiecto à communicabilitate, quam alias ex se haberet. Probatur antecedens, quia nulla potest dari repugnantia, nisi petendo principium.

Confirmatur: quia secundum aduersarios vna natura completa singularis potest esse simul in pluribus suppositis de potentia absoluta, ergo & vnum accidens simul in pluribus subiectis.

Dico secundo: quamuis non posset vna forma esse simul in pluribus subiectis, posse tamen esse successiue in pluribus subiectis, ergo forma non detinetur ita ab vno subiecto, quin alio tempore possit esse in alio subiecto. Probatur antecedens, quia nulla potest dari repugnantia, & quia non potest assignari ratio aliqua specialis connexionis huius albedinis cum hoc vno subiecto potius, quā cum alio subiecto eiusdem rationis, propter dicta supra n. 57.

61. *Dico tertio* si forma, quæ esset in vno subiecto non posset esse nec simul, nec successiue in alio subiecto, adhuc non indiuiduaretur per ordinē ad subiectū sic, ut ex natura & ratione particulari subiecti posset colligi, quod esset distinctum numero ab aliis formis; ergo nō indiuiduaretur à subiecto, etiāsi haberet hanc connexionē cū subiecto, quæ est maxima, quā potest cū ipso habere. Probatur antecedens, quia quamuis haberet illā connexionē, non posset illa colligi ex subiecti natura, aut singularitate, propter rationem præmissam eodem n. 57.

Confir

Confir-
matur
conclu-
sio.

Confirmatur, quia etiam si forma, quæ est in hoc subiecto, nequeat communicari, aut simul, aut successiue alij subiecto, non inde habebit distingui numero ab alia forma eiusdem rationis, quæ posset poni in eodem subiecto, siue pro eodem tempore in sensu composito, aut diuiso, siue pro alio tempore: ergo ex illa necessaria connexion & restrictione non habet forma esse distincta numero ab omnibus aliis formis possibilibus.

Confirmatur secundo, quia quamuis forma existens in hoc subiecto nequeat habere communicabilitatem ad aliud subiectum, & quamuis nequireret aliqua alia forma esse, vel eodem, vel diuerso tempore in hoc subiecto, tamen hæc connexio non posset colligi ex subiecto, sed ex ratione particulari formæ, quæ ratio particularis ex alio capite deberet desumi: ergo potius principium indiuiduationis deberet assignari aliud illud caput, ex quo deflueretur illa connexio, quam subiectum.

62. *Idem auctor* replicat contra se hoc modo: forma habet ex se communicabilitatem ad subiectum, & in hoc genere redditur per materiam ulterius incommunicabilis ad aliud subiectum, quod informet: sed de se forma accidentalis non est communicabilis ad alias formas inferiores, cum ipsa sit infima.

Contra hanc replicam opponit, quod si forma accidentalis ex se sit incommunicabilis ad alias formas inferiores, etiam erit incommunicabilis ex se multis subiectis, quia eo ipso, quo est incommunicabilis multis inferioribus, erit vna numero, & eo ipso quod erit vna numero non poterit communicari multis subiectis, & multo minus transire de subiecto in subiectum, ergo &c.

Opponit præterea quod si accidens de se esset communicabile multis subiectis, & redditur solummodo incommunicabile per hoc subiectum aliis subiectis, ergo de se est vniuersalis per modum quinti prædicabilis, licet de se non sit communicabilis per modum secundi prædicabilis, hoc est speciei; sed incommunicabilitas quinti prædicabilis non conuenit accidenti, quod est vnum numero: ergo ut sit vnum numero, dependet ab incommunicabilitate per modum quinti prædicabilis.

Sed quidquid sit de valore replicæ, quæ mihi non probatur, quatenus dicit accidens determinari per subiectum, quia existimo, ut est communicabile vni subiecto, ita & cæteris eiusdem speciei tam simul quam successiue; nec etiam mihi probatur illa replicæ, quia dicit quod de se forma accidentalis sit incommunicabilis aliis formis inferioribus: nam si loquatur de forma quoad naturam specificam, id est falsum: si vero loquatur de ipsa, ut singularis, id quidem verum est secundum omnes, sed oportet ostendere quod non esset singularis à subiecto, à quo iuxta replicam habet incommunicabilitatem ad alia subiecta. Sed quidquid sit de hoc, ut magis enucleatur doctrina prædicti authoris, & confirmetur nostra.

63. *Respondet ad oppugnationem primam* eius quod bene posset forma singularis esse ex se incommunicabilis pluribus inferioribus, ac vna numero, & tamen ex se, hoc non obstante, esse communicabilis pluribus subiectis & simul & successiue, & poterit transire de potentia absoluta de subiecto in subiectum, & si hoc repugnaret ex aliquo particulari capite, posset produci primo in quocumque ex pluribus subiectis: ergo non sequitur quod habet incommunicabilitatem ad plura subiecta, ex eo quod habeat incommunicabilitatem ad plura inferiora formaliter loquendo & præcise.

Ad secundam impugnationem etiam respondeo, quod quamuis accidens singulare esset communicabile multis subiectis, adhuc non sequeretur quod esset vniuersale quinti prædicabilis, quia, ut postea dicemus, ad hoc vniuersale requiritur prædicabilitas de multis cum numerica multiplicatione: sed talis non sequeretur ex eo quod vnum accidens numero esset aut simul aut successiue, quantum est ex se, in pluribus subiectis, sicut non sequitur quod natura diuina sit vniuersale specificum ex eo quod communicetur per modum totius naturæ pluribus personis, ac ut sic prædicetur de illis; quia non communicatur cum multiplicatione, nec prædicatur ut

sic multiplicata. Imo ex doctrina insinuata ab hoc auctore hic, quod accidens ex se sit incommunicabile pluribus inferioribus potest confirmari nostra doctrina: nam per hoc quod sit sic incommunicabile, erit indiuiduum & singulare, prout singulare opponitur vniuersali, quia omne vniuersale est communicabile pluribus inferioribus cum multiplicatione, & propterea essentia diuina non est vniuersale, quia non est sic communicabilis, quamuis sit communicabilis pluribus subiectis absque multiplicatione numerica: ergo si accidens ex se & non à subiecto habet illam incommunicabilitatem, quamuis ex se non haberet quamcumque aliam incommunicabilitatem, sequitur quod non habeat esse indiuiduum, aut singulare à subiecto, quod est nostrum intentum.

CONCLUSIO II.

64. *Accidentia etiam respectiua & inseparabilia non indiuiduantur à subiecto.*

Probat primò, quia sicut cætera accidentia non indiuiduantur per subiectum, ita hæc non debent dici indiuiduari, nisi sit specialis ratio, quæ ad hoc cogat: sed non est: ergo. Probat minor, quia non est alia ratio præter inseparabilitatem ipsorum: sed hæc ratio nulla est, primò quia si ex inseparabilitate alicuius ab alio deberet indiuiduari per illud, Deus esset principium indiuiduationis omnium creaturarum, quia nulla creatura potest esse sine Deo. Secundo quia illa inseparabilitas potest provenire ex imperfectione entitatis relatiuæ non potentis existere sine adminiculo subiecti, & non ex eo quod indiuiduaretur per subiectum.

Confirmatur hoc, quia ratio, quare hæc similitudo, verbi gratia est determinata ad hoc subiectum ita, ut non possit esse sine ipso, est, quia est talis singularis entitas, ergo præsupponitur ipsius singularitas determinationi eius ad hoc subiectum præ alio.

Probat secundo, quia si deberet accidens respectiua indiuiduari ab aliquo extrinseco sibi, potius aut saltem æque, deberet indiuiduari à termino ac subiecto, cum essentia eius magis declararetur per ordinem ad terminum, quam ad subiectum.

Probat tertio, quia duæ paternitates eiusdem speciei possunt esse in eodem subiecto, si non simul, ut habet Scotus, certe successiue, ut habet communis opinio: ergo non indiuiduantur per subiectum.

CONCLUSIO III.

65. *Anima rationalis, & idem est de quacumque forma substantiali, non indiuiduatur per ordinem siue actuale siue aptitudinalem ad materiam primam.*

Probat, quia eadem numero forma substantialis potest esse in diuersis corporibus: ergo non indiuiduatur per ordinem ad corpus.

Probat secundo, quia aptitudo formæ ad corpus est proprietas ipsius: nulla autem res indiuiduatur per suam proprietatem, nam proprietas est singularis ex eo quod subiectum sit singulare.

Confirmatur per omnia, quibus probatum est materiam non esse principium indiuiduationis.

Confirmatur secundo, quia multo minus dependet à materia forma substantialis, & præsertim anima rationalis, quæ de facto existit siue materia: quam accidens à subiecto: ergo si accidens non indiuiduatur per subiectum, forma substantialis non indiuiduatur per materiam.

QUESTIO IX.

Quid sit principium indiuiduationis rerum.

Impugnatis aliorum Authorum modis dicendi, restat inunc, ut quid re vera dicendum sit, declaratur.

CONCLUSIO

66. *Principium indiuiduationis rerum, hoc est illud, quod formaliter constituitur indiuidua quacumque res, siue totalis siue partialis, siue substantialis siue accidentalis, siue materialis siue spiritualis, est aliquid positum realiter identificatum rei indiuiduæ, formaliter tamen ab ipsa distinctum, quæ entitas vocatur singularitas, quia facit rem, in qua est, singularem seu incommunicabilem, vocatur autem hæc entitas, quia facit rem determinatam & hanc vocatur indiuiduum.*